SIGISMUNDUS Dei gratia Rex Poloniae supremus dux
Lituaniae Russiae Prussiae, Masoviae etc. dominus et heres, Significamus presentibus literis quibus expedit universis. Quia comparens personaliter in presentia maiestatis nostrae Generosa Hedwigis, relicta olim Generosi Ma-
thiae Mossynskii genitrix modo reformationis dotis et dotalicii advitalitatis et modo tutorio aut alio quocunque iuris titulo quartae sortis Advocatiae in Vieliczka possessor, recedendo a terris, districtibus, territoriis et iuribus
suis quibusvis et iurisdictioni nostrae se bonaque sua omnia hereditaria obligatoria mobilia et immobilia incorporando, sana mente et corpore existens, non compulsa nec coacta sed suorum amicorum salubri freta consilio libere et
publice recognovit, quia totam et integram quartam partem Advocatiae Vielicien. hereditariam puerorum suorum legitimorum videlicet Hieronymi et Annae germanorum cum prefato olim Mathia procreatorum, Cum omni iure et toto do-
minio, atque omnibus et singulis proprietatibus ad dictam quartam partem Advocatiae antiquitus quomodolibet pertinentibus, nihil penitus pro seipsa et pueris prefatis ibidem aut suis successoribus legitimis reservando, et neque aliquid
excipiendo sed prout Generosus olim Hieronymus Mossynski palatinides Posnanien. pater mariti sui prefati et olim Mathias maritus suus, tenuit habuit et possidebat, et prout eandem Hedwigim quoque, excogitato modo et iure con-
cernit, ita quod generalitas specialitati et specialitas generalitati in nullo deroget, Famatis Proconsuli Stanislao Sanoczkii et Consulibus Andreae Voyhaschek, Joanni Szigarek, Stanislao Voychyk et Stanislao Marschalek mo-
dernis et pro tempore existentibus, totique communitati civitatis nostrae Vieliciensis, pro summa sexingentorum florenorum pecuniae per mediam sexagenam computatorum perpetuo vendidit et inscripsit et coram nostra maie-
state Regia iudicialiter resignavit, ac realem iam ex nunc dedit eis coram nobis, in prefatam totam et integram quartam partem Advocatiae intromissionem, tenutam et possessionem actualem per ministerialem quemcunque,
sibi elegerint, quem nos ex nunc eis addimus ad intromittendum per ipsos Consules modernos et pro tempore existentes ac totam communitatem Vieliciensem, dictam quartam partem Advocatiae Vielicien. taliter ipsis venditam
et resignatam, ac etiam totam Advocatiam insimul cum predicta quarta parte coniunctam, tenendam, habendam, vendendam, donandam, alienandam, et pacifice quieteque perpetuo possidendam. Et debet predicta Generosa Hed-
wigis se suosque legitimos heredes et successores super omnia bona sua hereditaria, reformatoria, obligatoria, mobilia et immobilia in Vielkiemlini et in aliis quomodolibet per eam ubicunque possessa et quomodolibet in posterum
habenda obligat et inscribit eosdem consules et communitatem Vieliciensem, ratione quartae partis predictae Advocatiae Vielicien. eisdem modo premisso venditae ab omnibus impedimentis et damnis quarumlibet personarum
status sexus conditionis utriusque, secularium et spiritualium, prout ad quamlibet personam pertinet terrestris prescriptio nulla terri prescriptione evaden. et signanter a successoribus Generosi olim Hieronymi Mossynski
de Bnyn, ac a pueris suis cum Generoso olim Mathia Mossynski marito suo procreatis, necnon ab omnibus inscriptionibus prioribus et posterioribus, citationibus et concitationibus ad satisfaciendum literalibus reformatio-
nibus dotum et dotaliciorum perlucris, et generaliter ab omnibus iuribus cuicunque personarum in predicta integra quarta parte Advocatiae quomodolibet factis, importatis, reformatis, perductis, et quomodo sermen, interce-
dere, tueri, eliberare, evincere, et ubilibet iuxta formam iuris indemnes reddere, sub vadio sexingentorum florenorum pecuniae communis in Regno nostro currentis, ipsis consulibus totique communitati, toties quoties opus fuerit ad
ad solvendum succumben. Nihilominus prefata Hedwigis etiam se et suos successores legitimos inscribit et obligat super prefata bona sua omnia expressa habita et expost habenda, sub vadio aliorum sexingentorum floreno-
rum pecuniae in medietatibus per mediam sexagenam computatorum quia dum et quando prefati pueri ad legitimam aetatem pervenerit, extunc eosdem aut unum ex illis qui aetatem prius legitimam attigerit ad nostram presentiam
aut ad acta nostra regalia aut terrestria Cracoviensia adducere et statuere, qui adducti super presentem inscriptionem consentire, approbare, et recognitionem facere ipsis Consulibus et toti communitati Vieliciensi
in effectu exequi tenebuntur aut unus puer ex eis tenebitur. Pro quo vadio vel vadiis si se predicta generosa Hedwigis citare permiserit, aut sui successores permiserint, Extunc recedendo a terris et districtibus suis, ac
iuribus libertatibus quibusvis, coram maiestate nostra ubicunque, cum curia nostra protunc feliciter constituti fuerimus, aut coram iudicio terrestri aut castrensi, capitaneali Cracoviensi Regni nostri, in primo ter-
mino tanquam in peremptorio parere et respondere ac pro predicto vadio, tociens quociens opus fuerit satisfacere tenebitur et sui successores tenebuntur. Eiusdem primum terminum vera vel simplici infirmitatibus aut
aliis quibuscunque exquisitis coloribus non evadendo. Quamquidem venditionem et inscriptionem modo premisso factam nos ratam et gratam habentes ipsam presentibus literis nostris confirmandam et approbandam du-
ximus et confirmamus approbamusque, ac in eam consentimus, robur firmitatis obtinere decernimus. In quorum fidem et testimonium sigillum nostrum est subappensum. Dat. Cracoviae in conventione generali feria se-
cunda ante festum sanctorum Fabiani et Sebastiani martyrum, Anno domini Millesimo quingentesimo quadragesimo quinto, Regni nostri Anno trigesimo octavo

Samuel Eps. Chelm-
ensis Vicecancellarius subscripsit

Relatio Reverendi in Christo patris domini Samuelis Macieio-
vski Episcopi Ploc. et Regni nostri Vicecancellarii

Privilegium super balneum quarte partis Advocatie ... Scriptum iam habetur in donato fol 126

1 5 4 5

N 53

N 53 Vinum Privilegium emphoris 4te partis Advocati

A 1545